

cur ab eo abiudicentur, causam esse nullam. Nouissimus quidem Nissenus in libro egregio quem de Italia scripsit I p. 7 iis accessit, qui quæ ex periodo adferuntur, ab Hecataei temporibus aliena esse iudicauerunt. Sed quod multitudinem locorum miratur, quos ex occidentalibus Europæ partibus ab Hecataeo memoratos esse Stephanus Byzantius tradit, non debet opinor eam cum unius Herodoti parciore sane memoria conferre, quo uel Herodorum ei supparem in mythologico opere plura de Hispaniæ gentibus exposuisse forte fortuna comperimus: nec nimis exilem illarum regionum notitiam homini πολυπλανεῖ suppetuisse consentaneum est, per quas iam sexto a. Chr. n. saeculo Massaliotarum colonias dispersas fuisse ueri est simillimum. De Italia autem quæ posteriorem aetatem prodere uiro doctissimo uidebantur, Capua urbs et Capriæ insula ad Italiam relatae nihil probant propterea quod *Καπρία πόλις Ἰταλίας* et *Καπρῆ νῆσος Ἰταλίας* lemmatis potuisse Hecataei auctoritatem apponi, quantumuis is ipse Italiae nomine usus non esset, similia Herodoti Thucydidis Polybii exempla demonstrant collecta ab Hollandro p. 11 et B. Niese de Stephani Byzantii auctoribus p. 47 sq. Indidem etiam ipsum Capuæ nomen explicatum haberet, si modo Hecataei tempore id inferius esse constaret Liuii III, 37 testimonio, cui tamen alia apud Festum u. Capua et Seruium ad Aen. X, 415 opponuntur: nam Catoni urbem annis demum circiter ducentis sexaginta antequam a Romanis caperetur conditam tradenti, siquidem fides est Uelleio I, 7, 2, ne ipsum quidem se credere Nissenus p. 500 indicauit. Adriæ autem nomine ut et oppidum et sinum et fluuium ab Hecataeo dictos esse ex Stephani uerbis *Ἀδρία πόλις καὶ παρ' αὐτὴν κόλπος Ἀδρίας καὶ ποταμὸς ὁμοίως ὡς Ἐκαταῖος* concludere liceat, et sinum Adriaticum iam Phocaensibus innotuisse testatur Herodotus I, 163 et oppidi incolas Aeschylus nouit Heliadum fr. 68 N. De gallinarum autem et pecorum in illis regionibus fecunditate quæ addit Stephanus omnia esse Hecataei non debet Nissenus credere Muellero uel potius Klauseno, cuius hic ubique etiam uerba exscripsit: nam ex Aristotelis qui fertur *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων* c. 128 deriuata esse dudum adnotauit Meinekius. Itaque nihil dum uideo cur non liceat acquiescere in Eratosthenis iudicio, quod acceptum